





P 13052

Q. D. B. V.

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> JURIDICA 1724, 3

DE

Genuina & Legali

15.

18.

# PROBATIONE ERRORIS,

Quam

Favente Divino Numine

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆNOMINISSIMI, ac CONSULTISSIMI

## DOMINI DANIELIS KOLSHORNII,

Juris U. D. & Profesoris Extr.

Fautoris, Hospitis, ac Studiorum suorum Promotoris  
atatem colendi,

CONSENSU FACULTATIS JURIDICÆ

D. XII. April. Anno M DCC XXIV.

publice defendit

Autor

## JOH. ERNESTUS NEUMANN,

Bolleslavensis Sil. J. U. C.

---

FRANCOFVRTI ad VIADRVM,  
Literis JOH. CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.



ILLUSTRISSIMO atque EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO  
CAROLO GOTTHARDO

*dicto*

SCHAFFGOTSCHE,

SACRI ROMANI IMPERII  
COMITI & SEMPER FREY  
DE ET IN KYNAST,

LIBERO BARONI IN TRACHENBERG,  
HÆREDITARIO DOMINO DOMINIORUM  
GREIFFENSTEIN, KYNAST, GIRSDORFF, ET IN  
BOBER-ROEHR-ET SCHOSDORFF, BUCH-  
WALD, PREYLSDORFF, ET HARTAU  
&c. &c.

SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE CATHO-  
LICÆ MAJESTATIS  
CAMERARIO

&c. &c.

DOMINO SUO AC MECOENATI GRATIOSISSIMO,

d. d. d.  
devotissima mente  
manuq;  
AUTOR.



ILLUSTRISSE atq; EXCELLENTISSIME  
**DOMINE COMES,**  
DOMINE AC MECOENAS GRA-  
TIOSSIIME!



On ex Errore quo-  
dam, sed humillima po-  
tius ex observantia pri-  
mitias has studiorum  
Marchicorum Musis of-  
fero Tuis Illustribus, persuasus, me negle-  
ctu illius temerario officii gravissimum  
erraturum Errorem fuisse, quin gran-  
de etiam commissurum crimen GRA-  
TIAM in TUAM,  
*CUI placuisse mihi non ultima laus est.*  
Nam conuentudinem consecrandi jam à  
tem-

temporibus Mosis sacram nec non sa-  
crosancto Numini ac Nomi gratam  
extitisse, me monumenta edocent Vete-  
ris Testamenti; ex cuius fontibus Gen-  
tiles procul dubio, ut alia sine numero,  
morem Diis Urbes dicandi suum hausè-  
re, tanta cum religione, ut oppugnati  
aureis eos catenis vincirent, vincerent-  
que, ne evolarent, expugnati verò eos-  
dem suum obsecrarent emigrare; qua  
in Idolomania maximè isti erraverunt ho-  
mines; qui Errores autem nihil cum  
Erroribus, quos paginæ explicant præ-  
sentes, habent commercii. Nimirum  
juxta Dissertationis Materiam meæ JCti  
diversi de Errore, ejusque Probatione Juris, diversas abierunt in  
sententias; quorum unum alterumve er-  
ràsse ex Legibus Naturalibus, Civilibus,  
Canonicisque abunde patet

Quum

Quum itaque quondam EXCELSI  
LENTIÆ TUÆ submissò animo ac cala-  
mo Specimen nūcum Philosophicum tra-  
dere levidense, & quidem alloquio abs-  
que typico, mihi licuerit ; arridebit  
quoque TIBI non minus res quam facies  
hujus NOMINI TUO MAGNO (ad instar  
Majorum, quamvis non passibus æquis)  
sacratae Opellæ, quam, quoad fieri po-  
tuit, publice Viadrina in Cathedra de-  
fendi Marchiarum.

Largiatur igitur REX REGUM æternus  
RECTORI MUNDI CÆSARI utpote NOSTRO  
INVICTISSIMO, REGI LONGE CLEMEN-  
TISSIMO, CAROLO VI. AUGUSTISSIMO,  
Augusti, Trajani, CAROLORUM M. &  
V. imò plurium rebus immortalium  
gestis Imperatorum, vitam famamque,  
ut non tantum FAMILIA TUA ILLU-  
STRISSIMA DEO & Sacro Romano Im-  
perio ulterius vireat, floreat, vigeat,  
sed

sed TU etiam, GRATIOSISSIME MECÆ-  
NAS, Cæsareis Consiliis atque Regiis  
Negotiis, Patriæque, ut & Musis Silesia-  
rum adsis, præsis, profis Nestoris an-  
nos; de quibus tam felicissimis votis  
fatisque gloriabor, mihi metque gratu-  
labor, expetens à TE ac expectans sum-  
mum GRATIÆ TUÆ erga me studium

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ  
TUÆ

*humilissimus servus*

JOANNES ERNESTUS NEUMANN.



CAPUT I.  
GENERALIA Quædam  
ad  
Dissertationis nervum pertinentia.

SUMMARIA.

1. **C**ontrahentium consensus vinculum Contractus constituit, Error vero recludit.
  2. Nec officit errori renuntiatur fuisse.
  3. Error Vinculum sponsaliorum quoque solvit.
  4. Emotionem, aliosque contradicimus consensuales error regulariter viciat.
  5. Exceptio Erroris adeo privilegiata, ut in ipsa executione quoque opponi possit.
  6. Communiter observanda est distinctio inter errorem Juris & inter errorem facti.
  7. Error ab Advocatis Actis
- infractus revocari potest intra triduum: item de Errorre calculi semper licito.
8. In Delictis quoque error a Judice attendendus est.
  9. Vocabulū erroris & ignorantiae sapientis premisce accipendum.
  10. Errorum singulæ species in Dissertatione recenseri nequeunt, sed speciale tantum caput de genuino & unice legali erroris probandi modo tractabitur.
  11. Ex DD. & Facultatis cuiusdā extraneæ diffensi novitori, difficultas materia elucet.
- A. Sicuti



1. Icūfi CONSENSUS est materia,  
& Vinculum cuiusque contrā-  
etus per L. 1. ff. de Pattis, ita ē  
Contrario ERROR Confensui  
obstat; hinc Errantis nullum esse  
consensum, appetat. ex L. 15. ff.  
de jurisd. & L. 2. ff. de Jud. publ.
2. Quæ thesis adeo vera est, ita ut nec officiat, quod  
quis in contractu errori renunciaverit; quoniam non  
magis errori quam consensui renunciari posse, refe-  
rat L. 23. de Acquir. her.
3. Hinc in Causa sponsaliorum alias favorabili, er-  
ror in sponsalibus superveniens, sive ratione personæ  
sive ratione Virginitatis contingat, spondentes à Vin-  
culo sponsonis regulariter liberat. Cap. 4. x. de sponsat.
4. Quoad Errorem emtione coherentem conferri  
potest, L. 9. pr. & §. 2. de Contrah. Em. & L. 45. ff. eod. add.  
L. 2. ff. de jud. Imo quoad alios consensuales v.g. quoad  
transactiones ex erroris vel falsitatis fundamento i-  
nitas Conf. L. 29. C. de transact.
5. Hinc Exceptio Erroneæ promissionis, adeo privilegia-  
ta, ut in ipsa exceptione opponi poscit. vid. Carp. P.  
I. C. §. D. 24. Berlich. P. 4. Conclus. 84.
6. Communiter tamen in solutionibus ex errore,  
& ideo indebet factis, distinguitur, an ex errore  
facti, an ex errore Juris aliquid solutum sit? vid. L.  
2. & L. peri. ff. de juris & facti ignor. L. 10. C. d. T. L. 6. & 7. ff. de  
conditione indeb. L. 9. C. ad L. Falc. L. 3. & 9. C. de LL.
7. Errorem ab Advocato Actis insertum, intra tri-  
dium quoque revocari posse, refert L. f. C. de Error.  
add. L. fin. C. de Jud. de Errore calculi vero, quippe qui  
ex accuratiiori calculi revisione appetet, vid. L. utt. C.  
de Error. Calc.

In

In Delictis Errorum quoque à Judice attenden- 8.  
dum esse, bene monet L. 12. & pen. ff. de adult.

Alias vocabulum *Erroris* & *Ignorantiae* saepius pro- 9.  
misca accipiendum est; nam positio unius continet  
communiter fundamentum alterius. Interdum ta-  
men *Error* & *Ignorantia* in se valde differunt, quoni-  
am ratione facti ipsius certissima saepe se exerit scientia;  
sed quoad supervenientia Accidentalia, erronea  
& falsa demonstratio integrum causam variare potest.

Ambiguum vel latum erroris in Campum tamen 10.  
ingredi nolumus, sed specialem tantummodo Casum,  
Ratione MODI ERRORIS PROBANDI, exhibere  
volumus.

Cum itaque Dissensus Facultatis cui usdam Ex- 11.  
traneæ alias celeberrimæ, in sequenti Capite citatus,  
gravitatem hujus materia exhibebit; Nullibi tamen  
adeo specialiter occurrit, vel ad minimum ita venti-  
latum non invenimus; ergo inanem operam non su-  
memus, si hanc *Materiam* Exercitii causa cum Juris  
rationibus examinemus, ac legaliter VERUM, UNI-  
CUM LEGALEM PROBANDI ERRORIS MO-  
DUM demonstremus.

## CAPUT II.

### DE PROBATIONE ERRORIS Quare per Testes hunc modum susci- pere necessum videatur?

#### SUMMARIA.

- |  |   |         |
|--|---|---------|
| 1. Probatio quid? ejusq; legis-<br>lis distinctio.<br>2. Error quid? | 3. An Modi probandi ordina-<br>rii Errori applicari possint?<br>A 2 | 4. Pre- |
|--|---|---------|

4. *Probatio Erroris*, quod inter non Entia & impossibilita referenda sit, vult videri.
5. In Jure tamen sepiusm̄ constitutum est, quod ex capite erroris actus gesti residen di sint, si error appareat, vel probatus sit.
6. & 7. Modi probandi in Jure præscripti examinantur, & an in serie eorum hic modus probandi reperiendus sit?
8. Provocamus ad Authores, in quibus similes Casus propositi & decisi.
9. Casus ex Actis Judicialibus recensentur, & quare Judex probationem erroris desideraverit? ex sententiârū
10. Recensentur perro, quod in cau occurrenti ob Adversarii propriam Confessionem, ea probatione non indigeat.
11. Propter confirmatam sententiam tamen tandem quæstum erat, quomodo error probandus sit? & quod in Jure Juramentum asseverationis sibi locum vindicet.
12. Hæc Opinio à Judice declarante rejecta fuit, quippe qui Reum contra hujus probandi naturam contra LL. Canonicas ad probationem ordinariam condemnavit.

**I.** Ante omnia itaque respicienda erit occurrentium terminorum definitio. Prioris termini PROBATIONIS definitio vero ita sonat: quod probatio sit actus Judicialis, quo litigantes Judici de facto controverso fidem faciunt. Eaque distinguitur (1) in Artificiale, quæ fit per præsumptiones & conjecturas, (2) in Inartificiale, quæ fit (a) Testibus (b) Instrumentis (c) Evidentia facti (d) ex Confessione Adversarii (e) per delationem & præstationem jurisjurandi. vid. Welenbez ad ff. h. qui ultimus probandi modus ad Tit. ff. de Jurej. pertinet.

Alte-

Alterius termini ERRORIS definitio verò ea est; 2.  
 Quod Error denotet opinionem veritati contrariam, & voca-  
 ri solet ignorantia pravæ dispositionis. Struv. in Syntagm. Jur.  
 Civ. Exerc. 8. §. 76. & Exerc. 18. §. 40. seq. ibique LL. & DD.

Ad Errorem probandum tamen hæ species re-  
 censitæ non videntur sufficere; Nam licet jurisjurandi  
 præfatio modum tales probandi includere videatur,  
 tamen in antea dicta Jurisjurandi specie, antea requi-  
 ritur, alterius partis Delatio; absque præcedenti dela-  
 tione enim juramentum nullius effectus est, licet al-  
 ter centies juret. Cum vero secundum jus NATU-  
 RÆ GENTIUM & CIVILE, alli probandi modi  
 hodie incogniti, siquidem modus antiquus, Das  
 heiße Eisen für ihre Unschuld / oder der Sachen Gerech-  
 tigkeit zu tragen / oder in einen wallenden Kessel zu greif-  
 fen / oder mit Klämpfen sich zu erwehren / jam dudum  
 ut fallax cessavit.

Hinc videtur quod nostrum probandi thema in- 4.  
 ter non Entia, & inter Impossibilia referendum sit; adeo-  
 que tot LL. & DD. Opiniones de PROBATIONE  
 ERRORIS docentes eamque EXCEPTIONEM ex-  
 plicantes, de lana Caprina disputasse videantur; hinc  
 nostram Dissertationem eò quoque pertinere dicen-  
 dum sit; quoniā neque ex Jure Civili neque ex Jure  
 Canonico hic probandi modus determinatus fit.

Cūm vero ex Capitis I. Generibus hujus Dissertatio- 5.  
 nis pateat, erroris causa gravissimos Contractus re-  
 scindi posse, ita ut copia legum de hac materia in u-  
 troque Jure, Civili & Canonico existat. E. operæ  
 pretium sumam, ut hanc materiam intricatam, &  
 quotidie utilissimam dilucidem.

Dixi in n. i. huj. Cap. II. Quod probandi species ex 6.  
 serie

serie ibidem citata tantummodo constent; sed in probatione ARTIFICIALI, quæ per præsumptiones & conjecturas fieri potest, raro ejus effectus est, ut pro plena probatione haberi poscit; quamdiu vero plena probatio desicit, tamdiu regulariter probatio susceppta effectum probandi plenum non sortitur.

7. INARTIFICIALIS (1) per testes probandi modus  
huc plane non pertinet, QVIA ERROR ANIMÆ  
INHÆRET; *Animæ Cogitationes vero nemo hominum vel te-*  
*stium respicere, vel de iis testari potest.*

(2) Per Instrumenta Erroris probatio rarissime  
contingere potest, quia contra Instrumenta Exceptio  
erroris opponi potest & solet.

(3) Ex Evidentia Fasti Probatio erroris quoque  
rara foret, cum uti dictum, error soli animæ inhæ-  
reat.

(4) Ex Confessione Adversarii Probatio itidem fo-  
ret rara, cum nec ipse Adversarius de Cogitationi-  
bus Adversarii vere judicare possit, vel velit.

(5) Modus probandi per Jurisjurandi delationem Actori,  
qui pro se instrumenta habet, inutilis foret, & regu-  
lariter pro instrumento veritatis præsumptio manet, do-  
nec contrarium probetur, aut errore probato, Judge-  
Juxta circumstantias facti, instrumenti tenorem at-  
tendere non debet, sicut ex Cap. I. hujus Dissertationis  
apparet. Cum tamen in propria causa nemo jurare  
queat, nisi altero deferente, ergo nec Jurisjurandi ma-  
teriam succurrere posse, ex dictis vult videri: Adeo-  
que cum uti diximus, in probandi serie erroris proba-  
tio impossibilis appareat, hinc ad materiam Differ-  
tiationis accurate percipiendam Casus & sententias  
Facultatum Juridicarum pro & contra recensebimus,  
quo

quo ex Thesi & Antithesi postea thesis nostra eo modo  
gis elucescat.

Primum Casum recensebimus ex Brünneti. Conſi-  
lio 96. n. 17. ubi frater fōrōrī fūrē hereditatis cāuſā  
14000. flōrenos ſolverat; ex aliis circumſtantīs vērō  
poſtea appārebat, quōd ea ſumma quoad ipſam for-  
tem in feudo manērē debeat; Ergo Erroris, & igno-  
rantiāe cāuſā ſumimam p̄fſitam repebēbat, quam  
ſumimam tamen fōrōrī rēſtīvērē non mōdō recuſa-  
bat, ſed & p̄trāterea 2000. flor. exigebat.

Alium Casum p̄poṇit Zānger in Except. P. 3. C. 21.  
circa fin. quem infra in seq. Cap. III. recensēbimus.

Alium Casum cōmīmunicavit Dōminus Pr̄fēs  
ex Actis in Annō p̄terlapſo ventīlātū, in quo ſu-  
per errore probando ſub ſigillo Fācūltatis cuiusdam  
extraīeā alio modo quam à DD. p̄cēdēntib⁹ pro-  
nūciātū erat, in Casu ſequenti. Stichus ſcīl. Julio  
indicaverat, quod Stichi agnatus Sempronius cum uxo-  
re ſua Martha Julii consanguinea (tūjus Marthae ſuc-  
ceſſor ex tēſtāmentō, & ab intēſtato Julius erat) tēſtā-  
mentū nōvius condidiff̄et, in quo Sticho legatum  
1000. thalerorum rēlīctū eſſet; quem in finē tēſta-  
tores tēſtāmentū Judiciale Actis iſinuāſſent: Co-  
pia tēſtāmenti mutilata quoque ad legendum cō-  
municabatur: Et licet tempus, & circumſtantīe non  
p̄mittebārēt, ut Julius Copiam rite examinare po-  
ſet, familiā Julius Sticho, ceu Affini ſuo fidem dabant, at-  
que ſuper modo legatum p̄ſtāndi tranſigebat.  
Quo factō Martha rēconvalescens Julio dicebat, quod  
Actus tēſtāndi p̄ſuppoſitus falſitatem contineat,  
ſiquidem Martha petito Stichi, (ut tēſtāmentū in ſuī  
favorem conderet) ſatisfacere nōluiſſet, ſed abiuiſſet;  
adeo-

adeoque nec quoad personam Mariti sui *Sempronii*, aetius perfectionem subsecutam fuisse, credere posset; quem in finem *Martha* coram Notario, & testibus ad se vocatis, jurato revelabat, quod ea testamentum non condidisset. In bonis Mariti *Sempronius* (quippe cuius heres *Martha* existere nolebat) vero talis summa non reperiebatur: Qua revelatione facta, *Julius Stichum* per Epistolam de falsitate contra se suscepta objurgabat, cui *Julio Stichus* rescribebat, quod licet *Martha* non condidisset, tamen eo tempore tacuisset, quippe quod sufficeret &c. Præterea tempore publicationis testamenti putativi originalis patefiebat, quod *Judex* ignorasset, quis testamentum (quod ceu scriptum insinuatum erat) condidisset, multaque alia falsa apparebant: Ex quibus falsis detectis *Julius* commovebatur, ut Actioni ex testamento & transactione contra se motæ *Exceptionem Erroris & falsitatis* opponeret: sed primus *Judex* sequenti modo pronunciabat, & uxorem *Julii* simul condemnabat.

10. Dass der Beklagte wegen eines geforderten legati, und darüber getroffenen Vergleichs geständig/daneben aber dass Beklagter solchen tabulis nondum inspectis, und also aus Irrthumb eingangen / vorgeschützt / so sind Beckl. solches dass sie das Original weder gesehen/ noch von dessen Inhalt gnugsame Wissenschaft gehabt zu erweisen schuldig/ alldieweil Exceptio Transactionis tabulis nondum inspectis. In L. 6. ff. de transact. & L. 1. Testam. quemadm. infirm.

In Rechten und Praxi besonders gegründet jedoch deren Rechts-Lehrer Meinung also zu verstehen; si transigentes tabulis destituti circa voluntatem Testatoris erraverint.

Cum

Cum verò Stichus ex antea dicta Epistola rescripta jam confessus & convictus esset, quod Martha non condisposuisset, ex verbis Stichi; Es hätte Martha also fort müssen nein sagen/ denn durch das Stillschweigen (beym Testamente) wäre eben so viel/ als hätte sie ja gesaget.

Præterea ex Recepisse judiciali, in quo Judicio testamentum insinuatum erat, major falsitas post octo annos tempore publicationis apparebat, siquidem persona incognita Testamentum insinuaverat. Porro ex die & Consule dictæ Publicationis apparebat, quod transfigens originale Testamentum nunquam vidisset, adeoque plenam scientiam nunquam consecutus fuisset: quem in fine, cum falsitas & Error ex die & Consule appareret, Actor ex propriis literis ratione Falsitatis, & Erroris convictus erat; Porro Uxor Julii simul ex Capite transactionis condemnata, nunquam transegerat. E. Mediante Appellatione Gravamina hujus sententiæ deducebat, & absolutionem à Probando Ertore, ceu re ex Actis jam apparente contendebat.

Sed cum præter omnem opinionem sententia prima in Infantia secunda confirmaretur, E. tandem probationem Erroris secundum Jura, mediante Juramento Affeerationis suscipere volebat; cui probando Stichus contradicebat, & mediante probatione per testes suscipienda Actor erroneous causam deducere necessum esse existimabat: Sed Julius huic Opinionis legaliter contradicens, Personam aliquam sanguine sibi junctam, quæ Actui testandi interesse debuerat, interrogaverat mediante Epistola, quæ sub fide Juramenti rescriperat, quod neque putativus Testator

Itator Sempronius, neque Ejus Uxor Martha disposuissent; sed querulo Sticho Sempronius respondisset, Et wolle Ihn betestamentern. Omnibus his circumstantiis Errorem & falsitatem per se docentibus, ex Actis occurrentibus, Judex secundæ Instantiæ priorem sententiam nihilominus confirmabat; hinc Reus ad finem litis consequendum, salvo Appellationis Jure, ex Facultate sententiam confirmante, mediante Declaratione petita, contendebat, ut Facultas declarando decideret, QVOMODO ERROR INJUNCTUS PROBANDUS SIT? Siquidem notorii Juris sit, quod hæc probatio, soli animo errantis inhæreat, quem in finem Doctores & LL. Juramentum Asservationis ab errante exigant. Et cum in Casu præsenti, Actus præsuppositi testandi Falsitas, præter Actoris propriarum literarum Confessionem (1) ex teste jurato. (2) ex die & Consule Actorum patefactum sit, quod Reus Originale nunquam viderit, sed post octo Annos à die transactionis demum publicatum sit, E. probatio ratione originalis injuncta, frivola sit. (3) Martha mediante instrumento coram Notario & Testibus condito, Falsitatem præsuppositam detexisset. (4) Testis jurato revelasset, nullum Actum testandi suscepsum vel consummatum esse. (5) Judex Personam testantem Francofurtensem pro civi Berolinensi habuisse. (6) Notarius putativus adhibitus non fuisset immatriculatus Brandenburgicus, quod tamen noviores constitutiones Regiæ exigenterant. (7) Uxor Juli simul condemnata sit, quæ tamen nunquam translegisset. (8) Ratio & causa transactionis pro causa recensuerat, quod Martha simul dispositisset; hoc præsupposito, & causa cessante, effectus quoque

que cessare debuisset: E. Reus ob errorem ex dictis  
apertissimum, paratisimus sit errorem secundum Ju-  
ris requisita corroborare: sed sub Facultatis declaran-  
tis sigillo sequens declaratio subsequuta, cuius Rationes  
decidendi quinta, octava, & nona huc pertinentibus  
ita sonabant.

5. Solcher Irrthumb durch des Bekl. angege- 12.  
benes Jurament nicht geschehen kan/ angesehen Bekl.  
solcher gestalt in seiner eignen Sache Zeugniß geben  
würde/ welches allen Rechten zu wieder.

8. Der Irrthumb per Juramentum purgato-  
rium dargethan werden mag/ solche erhebliche Prä-  
sumptionem, oder aliqualem Probationem præsuppo-  
niren/ vergleichen Causis allhier nicht verhanden/ sons-  
tern dem Bekl. der Beweß allbereit auferlegt worden/  
also legitime vollführt werden müß.

9. Das Juramentum Assertorium wohin der  
Herr Bekl. den End offeriret/nur bey Zeugnissen statt  
hat/ als worzu Bekl. in ihrer eignen Sache/wie vorhin  
gemeldet/ nicht zu admittiren sind &c. &c.

Cum itaque integra Facultas talem sententiam 13.  
sub Sigillo formaverit, Eique fides habenda sit, uti  
æquitas suadet, necessario *Probatio Erroris inter non entia*, & inter impossibilia referenda foret. Nam ter-  
minus der Beweß legitime vollführt werden/ Pro-  
bationi per Juramentum regulariter opponitur; nam  
subiennuit ordinariè probationem per testes, præpri-  
mis si Probationi per juramentū opponatur; qui modus  
tamen in tali errore per testes probando regulariter  
impossibilis: E. cum pace Ejus Facultatis adeo Ce-  
leberrimæ Opinionem Ejusdem secundum Leges Ci-  
viles & Canonicas considerabimus, & Veritati in Ca-

pite sequenti inquiremus. Nam haec tenus Dominus  
Præses fidem habere non potuit, sententiam talem ex  
Consensu talium JCtorum formari potuisse, nisi qua-  
tenus sigillum Facultatis superadditum necessarium  
fidem exegit.

### CAPUT III. DE PROBAT. ERRORIS GENUINA ac Legali, mediante Juramento Asseve- rationis expedienda.

#### SUMMARIA.

- 1. Quatenus erroris probatio vera Juri Naturali Civili & Canonico conveniat?
- 2. Causæ probandi naturales.
- 3. Causæ decisio vera ex DD. rationibus in specie ex Brun- nem.
- 4. Decisio Consiliarii Köppen.
- 5. Quatenus per expressas san-  
ctiones Jura eorum Confir-  
mata?
- 6. Quatenus Zangerus Casum proponat, & decidat.
- 7. Quatenus Gailius dubiis occurribus satisfaciat?
- 8. Legum Civilium rationes pro-  
ponuntur ex L. 42. C. de  
transact.
- 9. Rationes L. 15. ff. de juris-  
dict.
- 10. Idem in L. 4. C. de juris  
& facti ignor. aliusq; LL.  
proponitur; & repetitio rei  
ex errore præstite datur.
- 11. Integer tit. C. si ex fas-  
instrum. vel testim. ju-  
dic. sit, adicitur; qui erro-  
ris causa repetitionem con-  
cedit.
- 12. Idem de legaris ex errore  
solutis dicitur, juxta casum  
Dissertationis propositum.
- 13. Quatenus Error ex eo ap-  
pareat, si res aliter se habeat  
quam ante transactionem di-  
ctum erat.

14. Qua-

14. Quatenus ratio sententiae in Cap. I. citatae obstat vi-deatur.
15. Cui dubio frivolo responde-tur?
16. Per Exempla aliorum Ca-suuum demonstratur. Regu-lam, (quod nemo in pro-pria causa testis esse posse,) pati Exceptiones.
17. Juris Canonici Dispositio Juri Civili conveniens ad-citatur.
18. Ratio Decisionis Papalis proponitur.
19. Rationes sententiae extra-neae Facult. refutantur.
20. Quare probatio per testes facienda, impossibilis?
21. Quare impossibilium obli-gatio nulla sit?
22. Contra rem Judicatam ita-que adeo frivole & impossi-biliter condemnatus, noviter audiendus sit. Et thesis præ-ced. n. 5. repetitur.
23. Quare Nomen hujus pro-bandii Juramentum affer-tionis & asseverationis obtinuerit?

**G**ravioribus sententiae dubiis, in Capite præce-denti citatis, in hoc Capite satisfaciendum, at-que naturaliter, ac legaliter jam demonstral-dum, qui sit in Casu propollo possibilis verus, Na-turali Civili & Canonico Juri conveniens Erroris probandi modus?

Naturalibus ex causis, Erroris probandi modum (i) demonstramus, quod Error soli animæ & solis Cogitationibus inhæreat per ea quæ refert Brunnem. infra seq. n. 3. Nam cogitationum humanarum causa in homine non existit specialis Camera, quam alii ho-mines vel testes respicere, & de cogitationibus con-sentaneis vel erroneous Processus probatorius per te-stes formari possit: sed de Cogitationibus suis ipse cogitans, aut errans testari potest. Ne vero simpli-ci Assertioni vel Negationi fides habeatur. E. sub

fide

B 3

fide juramenti ejusque præstatione leges demum effectum tribuunt; nisi forte error ex ipso facto evidens sit, vel Adversarius errorem alterius negare non posse; quo casu probatione plane non indiget.

3. Quo itaque Erroris probandi jura eo magis notescant, ad *supra citatum Brunnem, in C. II. n. 8.* revertimur, qui in *d. Conf. 96. n. 17. seqq.* de errore, & pecunia erroris ex causis data, condicenda, sequenti modo pronunciat:

Quod ad repetitionem rei indebitæ ex errore seu ignorantia solutæ, tria tantum necessaria sint.

- (1) Quod quis solverit.
- (2) Error, seu ignorantia.
- (3) Quod indebet solverit.

**Das andere (Errorum scil.) betreffend/ dasfern man ja auf Beweiss dringen wolte/ und Ihr kontet/ solches mit Eröffnung eueres Gewissens darthun/würdet ihr billich damit gehöret.** Ratio hujus sententiae subsequitur:  
**QVIA PENDET ERROR EX ANIMO ALLEGANTIS, QVI NB. HAUD ALITER QVAM PER JUSJURANDUM DECLARATUR.**

4. Quoad effectum & quoad jus per se quod de Erroribus conceptum, inter alios notanter scripsit Käppen in *Decis. 58. n. 5.* qui ex jure communi, in specie vero ex *Jure Brandenb.* probavit, quod erronee contrahentes a vinculo promissionis absque dubio absolvendi sint, ita ut in omnibus Facultatibus Juridicis in favorem Errantium absolutorie pronunciamendum sit. *conf. Berlich, P. 1. Concl. 84. n. 62. seqq.*

5. **Quæ Jura Brandenburgica antiqua, per sanctiones noviores confirmata, ita ut in *Ordin. Cam. Berol. Tit. 23.***

23. §. 2. sancitum; quod Exceptio erroris & falsitatis contra Executionem competere debeat; sicut in Casu supra in Cap. II. n. 9. post med. citato, ex ipsius Actoris literis, falsitas præsuppositi Actus & ideo transfigentis Rei error apertus erat.

Majorem vim Exceptioni erroris tribuit Zanger.  
in Except. P. 3. C. 21. circa fin. ubi probat, transactiones Juramento quoque corroboratas, ob errorem concurrentem tamen licite rescindendas esse, in verbis seqq.

Dann auch dasjenige / was bey solcher Vergleichung fürgegeben/ sich viel anders/ und nunmehr das Gegenthil thäte befinden/ so hättet ihr ex causa falsa transfigiret/ derowegen ihr umb relaxation des Eydes wohl anhalten möget/ so euch auch billich ertheilet wird von Rechtswegen.

*Et Gail Lib. 2. obs. 139. n. 14. notanter dicit. Quod* 7. *error vel ignorantia regulariter præsumatur, nisi probetur scientia: per Cap. præsumitur 47. de Reg. Jur.*  
*in 6. ubi Verba expressa sunt: quod ignorantia tamdiu præsumatur, donec aliud probetur; hinc ex Casu supra citati circumstantiis erroneis concurrentibus & apparentibus, probatione plane non indigeret. Nos vero in hac dissertatione ambages hujus materiae relinquimus, ac post Doctores ad LL.*  
*verba nos conferimus, & præter leges in Cap. I. jam citatas, ad alios LL. fontes progredimur, qui itidem erroris Causa retractum concedunt, & retractui juxta Casum concessso, tandem probatio vera, seu causa retractus ex ipsis LL. quoque respicienda:*

*ita autem loquitur L. 42. C. de transact. si ex falso instru-* 8.  
*mentis transactiones vel paliiones initæ fuerint, quamvis  
jus*

*jusjurandum de his interpositum sit, etiam civiliter falso re-  
velato, eas retractari precipimus. Quæ unica lex si in  
Casu proposito considerata fuisset, aliam sane & sim-  
pliciter absolvitoriam sententiam Facultas ferre de-  
buisset Conf. Struv. Exerc. VIII. §. 46. add. Sichard. in  
Consil. Juris Feudal. Consil. 7. n. 2. Textus tamen alios  
civiles varios superaddemus.*

9. Ita enim loquitur L. 15. ff. de jurisd. Si per erro-  
rem &c. nihil valebit quod actum, cum ut Julianus scribit,  
non consentiant, qui errant; quid enim tam contrarium est  
consensui quam error, qui imperitiam detegit.
10. Porro integer Tit. C. in specie L. 1. 2. & 3. si ex falso  
testim. jud. sit. Rei judicatæ, vires judicati denegat,  
si Causa judicati ex falso instrumento orta sit; nam  
in subsequenti L. 4. Justinianus pergit, *Quod Judi-  
cati Executio soleat suspendi, & soluti dari repetio, si falsis in-  
strumentis circumventam esse religionem judicantis, criminis  
postea falsi illato, manifestis probationibus fuerit ostensum.*  
Porro in L. 4. C. de jur. & fact. ignor. dicitur quod  
si post divisionem factam, testamenti vitium in lucem emerse-  
rit, ex his quæ per ignorantiam confecta sunt, præjudicium  
tibi non comparabitur. item in L. 7. d. t. notanter dici-  
tur; quod error facti nec dum finito negotio alicui  
noceat. item in L. 8. & 10. d. t. ulterior explicatio  
subsequitur; *Quod errantis voluntas nulla sit, & per igno-  
rantiam facti data, repetitionem indebiti soluti tibi compe-  
tere notum est.*
12. Porro in L. 51. ff. de Pact. in Cap. II. n. 9. pro-  
positum Casum perspicue eadem ratione decisum  
cognoscimus, in verbis: **SI QVIDEM PACTIS PER  
ERROREM RATIONE LEGATORUM INITIS,  
NULLUS PLANE TRIBUITUR EFFECTUS.**  
Hinc

Hinc cum in contractu tali appareat error a- 13:  
 liquis, quippe qui ex eo præsumitur, si postea appareat rem  
 aliter se habere, Gail. lib. 2. obf. 139. n. 4. ex L. 6. qui mi-  
 lit. poss. vel non <sup>est</sup> ipsum finem nostræ Dissertationis,  
 ratione probandi quoque terminat, quomodo scil.  
 Judex probationem erroris à partibus litiganti-  
 bus exigere valeat, vel illa ipsa Pars PROBATIO-  
 NEM ERRORIS SUSCIPERE POSSIT?

Nam licet in n. 1. 2. 3. & 4 buj. Cap. III. ex Ju- 14.  
 re Naturali & Civili Probandum verum jam allega-  
 tum sit, & de jure in hoc Casu constituto, LL. sub-  
 sequentes veritatem nostræ thesis demonstraverint;  
 tamen satisfaciendum erit dubiis à Celeberrima Fa-  
 cultate Extranea motis, quippe quæ probandum  
 hocce per modum probandi *legitimum exegit, quale*  
 ordinaria per testes intelligitur: arridet enim Faculta-  
 tis Decidendi ratio in Cap. II. sub n. 12. n. 5 citata:  
 Dass solcher gestalt Bekl. in seiner eignen Sache Zeug-  
 müß geben würde/ so allen Rechten zuwieder. Argu-  
 mentum sententionantis nimirum hoc est: si quis  
 in propria Causa pro se testimonium ferre posset,  
 pauper *Titius* convenire posset divitem *Marcum*, di-  
 cendo, v.g. quod *Marcus* sibi 1000. deberet, & licet  
*Marcus* conventionem negaret, tamen si *Titius* fal-  
 sum Juramentum præstaret, *Marcus* post *juramentum*  
*assertionis* præstitum, mille solvere necessum haberet,  
 & sic tale juramentum vinculum iniquitatis foret;  
 cui falso procedendi modo tamen Jura nunquam  
 succurrant, sed potius contraria ordinatio in Jure  
 repertiatur, quod scil. *Actore non probante Reus absolvendus sit*; *Reus autem Excipiendo Actor fiat*; hinc Excepti-

C

onem

onem suam *legitimè*, non vero mediante suo jura-  
mento probare debat.

15. Nullam tamen Regulam adeo firmari esse  
dicimus, quæ non patiatur Exceptionem; Cum e-  
nim hoc in Casu erroneo, contractus intelligi non  
possit; dum vere non consentiant, qui errant, *per*  
*præc. n. 9.* sed contractus productus fundamento suo  
potius destitutus videatur; interim tamen saepius er-  
ror fingi, adeoque contrahens vel promittens contra  
jura absolvendus foret: Ne itaq; Jura fiant vincu-  
lum iniquitatis; E. circumstantiis occurrentibus  
Exceptionem erroneam allegans, eam necessariò  
probare tenetur, qua Probatione subsecuta demum  
Absolutio contingere potest. Sed in Casu præsenti  
aliæ stant rationes quas *post pr. huj. Cap. 3. usque ad n.*  
*14.* allegavimus, cum non modo in hoc, sed & aliis  
in Casibus occurrant, uti v. g. in *Libri Mercatorum,*  
quorum asseverationi post juramentum suppletori-  
um præstium, jurato asseveranti plena fides habe-  
tur, de quibus *confer. Brunn. ad l. 6. ff. de Probat. ibi-*  
*que DD.* item corpus delicti v. g. rem furto sibi sub-  
tractam dominus *asseverando quoque affirmare* potest;  
quales materias hic brevitatis causa omitimus sed  
hæc modo panciora exempla & LL. erroribus sen-  
tentianantium ante oculos ponimus. E contra cum  
Facultas alias Celeberrima pro sententia sua neq; u-  
nicum Doctorem, multo minus aliquam legem cita-  
verit, hinc præsumendum, vel quod propter nimis  
forte labores Causæ huic controversæ inquirere  
non potuerit, vel à Referente seducta sit: Nam in  
*Recessibus Imperii* Facultatibus Juridicis injunctum,  
ut *sententiae Rationes exhibeant*, quarum exhibitio per  
LL.

LL. & Doctores corroborari solet; Hac in parte vero contra omnem consuetudinem sententia concepta erat; hinc eo liberius ab ea recedere poterimus, ac rationibus in hoc Cap. III. a n. 1. usque ad n. 13. inclus. citatis inhæremus.

Porro Gailius in supra citato loco, scil. in Lib. II. obs. 48. n. 14. notanter dicit, quod ignorantia (error) solo juramento allegantis probetur, per Regulam: quod ea, quæ in intellectu & conscientia nostra consistant, per SIMPLICEM ASSERTIONEM CUM JURAMENTO RECTE PROBENTUR, atque inter alias leges ibidem Gailius citavit L. 5. ff. de re milit. ubi milites rationem fugæ asseverantes ex vita antea acta affirmationis fidem consequuntur, quæ affirmatio non simplex, sed religiosa communiter intelligitur.

Porro ea Decisio & probationis modus per Jus-  
jurandum non tantum in Casibus propositis, sed in aliis quoque Casibus occurrit; hinc integer *Titulus* in *Pandectis* & *Codice* jacet sub Rubrica *De jurejurando in litem*, in quibus Titt. diversi Casus recensentur, in quibus IPSIUS ACTORIS ASSEVERATIONI JU-  
RATÆ standum; hinc ea Regula & Ratio, quod ne-  
mo in propria causa testis esse posse, varias habet Ex-  
ceptiones, & limitationes, adeo; non est generalis.  
sima, sed LL. & DD. eorumq; rationes ex *Jure Naturæ*  
& *Civili* desumptæ, jam satis probarunt, hoc Erroris  
probandi genus, non pertinere ad Probationis mo-  
dum ordinarium per testes suscipiendum. *add.* Casus  
similes penes *Carpz.* P. 3. C. 14. def. 22. citati.

*Juris Canonici Dispositio quoq; bujus Probationis Modi* 17.  
*Formam in expressis Verbis constituit in Cap. 8. de Elect.*

**E**lect. pot. x. in 6. in verb. fin. Ubi Monachis, cum contra Electionis actum, errorem & ignorantiam Pontifici Maximo demonstrarent, simplicem erroris allegati fidem Pontifex dare noluit, sed PROBANDUM injunxit; quo casu ipse Pontifex Probatorium hujus causæ Processum descriptis in fine d. Cap. dicendo. *Quod cum Electi morum improbitas antea, aut alterius latentis viti, aut defectus, quæ verisimiliter ignorare quis potuerit, veritas reveletur, de hujusmodi ignorantia fidem faciant PROPRIO JURAMENTO.*

18. Quæ Decisio Papalis modum probandi possibilem & juri Naturæ & Civili convenientem continent, cum error per Naturam in solo intellectu & scientia errantis consistat, adeoque ex nullo alio fonte Probationem hujus casus regulaliter desumi posse notorium est.

19. Verba ejusdem sententiae, sub d. Cap. II. n. 12. n. 8. der Irrthum per Juramentum purgatorium dargethan werden mag/ad hunc Casum plane non pertinere, ex Jure satis constat;

20. Reliquis sententiae verbis prolixè respondere ad propositum nostrum non pertinet, ea tamen, quæ huc pertinent v. g. also legitime (Der Beweiss) vollführt werden müß; hic opponuntur Probationi per Juramentum unice legalis cum vero Actor in fundamentis propugnantibus quæ ab eo in Actis allegata erant, de Probatione per se tales tantum locutus erat, nec aliæ probandi species causæ erroneæ ex verbis (legitime vollführt) succurrere possent, sed potiora Argumenta Rei probantia, Falitatem & ideo supervenientem errorem apparentem in n. 11. post med. Cap. II. citata docuissent, quod in Actis aperto occurrentia Probanda in hoc casu Legalia in sententianando

do à Facultate præterita essent, E. certissimè judicandum erat, quod Judge genuinum & unice legalem modum probandi rejecisset; quoniam ratione Probandi ab antecedenti Judice jam injuncti & ab hoc confirmati, unica quæstio remansisset QUOMODO?

Insuper illa Facultas Probationi ratione Erroris in LLbus occurrenti contradixisset; aliamque LLbus incognitam adjudicasset, sententia insuper degenerabat in Modum (*Erroris Probandi*) impossibilem, Impossibilum autem obligatio nulla est, hinc Jus Canonicum in Reg. Jur. VI. in T. de Reg. Jur. X. in 6. clare disponit, quod nemo ad impossibilia obligari posset: si vero tali Probationi injunctæ satisfaciendum sit, recurrendum est ad *Probationis medium Juris possibile existens*. Non entis enim nullæ sunt affectiones.

Cum porro supra in n. 5. hujus Cap. III. dictum 21. sit, quod in terris Brandenburgicis *Exceptio erroris contra Rem Judicatam & contra Executionem* quoque competat, multo magis ratio ab impossibili defuncta illius effectus erit, ut talis res *judicata à Judice attendenda, vel Executioni committi posuit, sed ita frivole condemnatus, noviter audiendus fit*.

Cum itaque nostram sententiam ratione Erroris Probandi genuinam, LLbus convenientem & necessariam esse demonstraverimus, de nomine hujus juramenti, quatenus in Jure illud occurrat? quæstiōnem quoque movebimus, an Nomen & Titulus ejus in legibus notatum? Cui quæstioni respondeamus: quod occasione verbi, *asseverantes*, quod in L. 5. §. 5. ff. *dere militi*, supra in n. 15. huj. Cap. III. citatur, Doctores talia juramenta vocent *juramenta asseverationis*,

vel Assertionis; vel generaliter loquantur: quod cum dicto & asseverationi alicujus standum sit, illa confirmari debent juramento, uti Carpz. P. III. C. 14. def. 22. n. 5. ratione dubii, quo modo, & animo quis hereditatem aderit, simile Juramentum injungit. Ea vero, quæ in Cap. II. n. 12. n. 9. à Facultate allegata erant, (dass Juramentum Assertionis nur bei Zeugnissen statt hat) juri plane non conveniunt; hinc inter eos de Errore Pronunciantes errores eo ipso intervenisse credendum est; alias sententiam adeo Juri adversantem, it. cum nulla lege probatam, Casui cuidam insolitus adscripsit Dominus Praeses, nec haec tenus concipere potuit, quomodo ex Facultatis adeo Celerimæ consensu ea provenerit.

Interim sit quidquid sit, ASSEVERATIONI ET ASSERTIONI errorisque Probandi modo per LL. satisfeci, ac cum finem & scopum Assertionis in dictis verbis tertierim, Dissertationi & assertioni facio

FINE M.

**S**Edulitas animi fecitque *virum noviorem*  
Ex Te NEUMANNO, quem decet ire celer  
Ad Cathedram Themidos; *Erroris recte do-*

*cendo*  
*Finem & quæ methodus ritè probare*  
*queat?*

*Hæc pauca Nobilissimo suo Dn. Respondenti,*  
*lubenti calamo adscribere debuit*  
**PRÆSES.**

**I**ngenti merito celebramus gaudia plausu,  
Quando doctrinæ das documenta tuæ,  
Aëre quot volucres insunt, quot littore conchæ,  
Tot bona lætitiae tempora grata ferant.  
In Patria exultans, progressibus utere faustis,  
Ut sis nunc NEUMANN, dexteritate nova.

Hicce

Prænobilissimo atque Doctissimo Dno. Respondent  
Contubernali ac Amico Suavissimo  
gratulari voluit

**BERNARDUS HIERONYMUS FIBIG,**  
Sil. Medic. Doctorandus.

**Q**ui probat Errores, errorem errare videtur  
Multiplici nec non deteriore modo.  
Sed, NEUMANNE, probans Errorum Thema pro-  
bando  
Non erras; id enim res Tua docta probat.

**M. Gottlob Nothe,**  
Cronaca-Sil. P. L. C.

**C**rede mihi Sapiens poterit sapienter amare  
Ignavum pectus nescit habere modum  
Qui mavult charus musarum filius esse,  
Illas ut Matres candidè amare decet,  
Hic amor est licitus, petit hunc patris ipsa voluntas  
Pieridum ut doctus filius esse velit.  
Sincero quod ames viadrinas pectore Musas  
Hoc præsens specimen testis Amoris erit.  
Felices docti succellus grator Amoris,  
Et Mihi cum Musis semper Amice fave.

Ita precatur & congratulatur Amico per dilectio  
de docto Amoris specimine Amicus  
integer

**JOANNES GEPPERT**, Sil. M. C.

**D**octrinæ præstans specimen nunc edis, AMICE:  
Prædicat ast olim Fama TUUM Genium.  
Ac voluit Fortuna favens ut junctus Amicus  
Jam dicam Laudes, gratuler æque TIBI.  
Parva quidem, fateor, pro magnis, munera reddo;  
Dum TIBI pro puro Poëtore verba fero:  
Sed qui, quam possunt, dant maxima, Jure probantur:  
Nec finem Pietas altius ipsa locat.  
Ergo de pura quæ nunc TIBI profero Mente  
Thura, TIBI placeant fintque probata TIBI.  
Conscius ast benè sum mihi me non esse Poëtam:  
Amplificet Laudes Musa parata TUAS.  
Cedenti hincque TIBI rogitans hæc profero verba  
Ut vinclis nostri sis memor atque tenax,  
Vivere fac possis per longæ Tempora vitæ  
Ut TUA Facta pio Carmine Musa canat.

*Tenuerat Carmen Amico suo perquam colendo  
festinante scriptit Calamo Opponens*

**FRIDERICUS LUDOVICUS KOCH,**  
Crosn. Sil. LL. Stud.

**Q**uod pangit, properans, placida nunc accipe fronte  
Carmen, AMICE TIBI, nescia Musa mea.  
Ingenii præstans specimen TE condere credo:  
Ascendens Cathedram, Laudibus ipsa Tuis.  
Jam resonant Themidis magis atria splendida namq;  
Addam quid majus? plaudit & illa, Tibi,  
Gratiæ, quæ mittet sumptam de fronte Coronam:  
Sic volo sic cupio: Vive valeque diu!

*Prenobilissimo Domino Respondenti Virtutum litterarumque studiosissimo, Prenobilissimi Dni. Parentis  
enulo Filio Amico suo & Conterraneo suavissimo  
gratulabundus hæc acclamat Opponens devindissimus*

**CAROLUS JEREM. de SONNENTAG,**  
Eques Sil.

N Obilibus placuisse Viris non ultima laus est  
Hoc NEUMANNE tuus comprobat iste Sco-  
pus,

Auspiciō COMITIS Firmo stas pectore felix.

Quō faustus cœpto fons, & origo fluat !  
Et labor Asiduus studiorum meta tuorum

Non nisi delicium, gaudia mille ferat !

Fama TUUM tandem dederat ad æthera NOMEN

Me vero obsequiis, quo jubes ire, sequar.

*Hoc Disputanti Amico suo Prænobilissimo ac Doctissimo obsequioſa subscripsit penna*

JOANNES SAMUEL BAUMGARTHEN,  
Sil. LL. St.



A. Hochmeisterin die uns comboper ist 200  
A. p[re]dict COMITI p[ro]prio f[ac]tis regioris f[ac]tis  
CAG H[ab]ET[ur] p[ro]prio f[ac]to & origo f[ac]to  
D[icitu]r q[uod] sicut dicitur in libro deuteronomio  
Nop[er] tuum nomen debet in aliis nominibus  
Estim[us] TUM nomen debet in aliis nominibus  
M[an]eatur aperte d[omi]n[u]m i[n]debet  
A. p[re]dicta sicut dicitur in libro deuteronomio  
O[ste]ndit sicut dicitur in libro deuteronomio  
Se t[em]p[or]e







Frankfurt a. O., Diss., 7720-24


ULB Halle  
004 549 52X

3



f

56.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches



P 43052 1724,3 18  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
Genuina & Legali  
**PROBATIONE  
ERRORIS,**  
Quam  
*Favente Divino Numine*  
SUB PRÆSIDI  
*VIRI PRÆNOBILISSIMI, ac CONSULTISSIMI*  
**DOMINI DANIELIS  
KOLSHORNII,**  
Juris U.D. & Professoris Extr.  
*Fautoris, Hospitis, ac Studiorum suorum Promotoris*  
*et atem colendi,*  
CONSENSU FACULTATIS JURIDICÆ  
D. XII. April. Anno M DCC XXIV.  
publice defendit  
Autor  
**JOH. ERNESTUS NEUMANN,**  
Bolleslavensis Sil. J. U. C.

FRANCOFVRTI ad VIADRVM,  
Literis JOH. CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.